



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Fragmentvm Epistolae I. Liberii Papae Ad Osivm Cordubensem episcopum,  
de lapsu Vincentii, Ex Baronio huc translatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

FRAGMENTVM EPISTOLÆ I.  
LIBERII PAPÆ AD OSIVM  
Cordubensem episcopum, de lapsu Vincentii,

*Ex Baronio huc translatum.*

QVIA in nullo conscientiam tuam debeo præterire: multi ex Italia episcopi conuenerunt, qui mecum religiosissimum imperatorem Constantium fuerant deprecati, vt iuberet, sicut ipsi placuerat dudum, Concilium Aquileiense congregari. Vincentium Capuensẽ cum Marcello æque ex Campania episcopo legationem nostram suscepisse, sanctitati tuæ insinuo. De quo cum multa sperarem, quod & causam optime retineret, & iudex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset: credideram Dei euangelium sua legatione posse seruari. Non tantum nihil impetrauit, sed & ipse in illam ductus est simulationem. Post cuius factum duplici mœrore confectus, moriendum magis pro Deo decreui, ne videar nouissimus delator existere: nam videtur sententiis accommodasse consensum.

Extat in  
Codice Va-  
ticano  
num. 2672.  
cuius est in-  
scriptio Cõ-  
cordia Cavo-  
rum.  
Baron. ann.  
353. num. 19.

## NOTÆ.

\* *Vincentium.*] Constantius victoria Magnentii elatus, publico edicto mandarat, vt Ariani in communionem ecclesiæ reciperentur, Athanasius vero condemnaretur. Liberius, vt eum a concepto furore placare posset, atq; imminente non tam aduersus Athanasium, quam vniuersam ecclesiam catholicam, ac præsertim in occidentales episcopos persecutionem anteuertret, deputatos anno præcedente legatos, Vincentium atque Marcellum, ad Constantium Arelate in Gallia agentem ablegauit, qui de cogendo Aquileiæ Concilio illum interpellarent. Arelatem venientes, inuenerunt ibi complures Arianae factionis episcopos, & aliquos occidentales, Saturninum & Fortunatianum Aquileiæ episcopum, quos Ariani per Constantium in suam communionem pellebant. Vincentius horum importunitate sollicitus, & imperio Constantii deceptus, tandem, proh scelus, vel precibus, vel minis Arianorum aut Constantii inflexus, summi fidei athletæ, innocentissimique viri Athanasii damnationi turpissime subscripsit, suoque exemplo omnes prope Italiæ episcopos ad idem scelus committendum induxisset, nisi secunda legatio pontificis per Luciferum episcopum eiusque collegas id impediuisset. Hæc ex Seuero lib. 2. epist. Liberii ad Constantium & Eusebium, & apol. Athanasii ad Constantium. Baron. anno 353. num. 15. & seqq.

Prima lega-  
tio ad im-  
peratorem,  
qua occa-  
sione depu-  
tata.

Vincentii  
lapsus.

*Concil. Tom. 3.*

R